

Vir Illustris et Generose,

Hostis cum saevire potest, et mavult parcere, iam quov-
dammodo Hostis non est: ab ira ad Humanitatem, ab Hu-
manitate ad gloriam venit. Ut Bellum geritur promiscuo
eventu fortuna ludit: sed felicem vereri, tanquam mutari
possit, major securitas est: uti clementia, cum res pro-
sperae sunt, ad famam victoriae facit. Hanc vobis virtu-
tem gratulor. nam Bene audire Sactenus, quam vincere
maluistis. In confessionem elogi Supis tot iam epistolae
veniunt, quot rapere nuper mihi miles vester potuit;
sed Excellentissimus PRINCEPS servare. Praedam ille
spectavit, sic laudem; et cum in tabellis ipse captus
videret, me mihi restitutum esse voluit. Quid tu autem,
Dignissime Aeternitate viri? tam Inculenti Beneficii in-
terpres, imo et pars fuisti: Humanitatis interpres, sed
quam ipse usurpares. Perire epistolae poterant, ut te
Amicum haberem: tu esse voluisti, ne perirent. An satis?
Addis munus, quod toto fasciculo melius est, elegantissimo
Epigrammate, velut symbolo, candidissima Inscriptio,
velut tessera propensi animi adornatum. Sed non poteras
non Humanissimus esse, qui doctissimus eras; pari et
animo et ingenio; ut diceres, quae audire te par erat.
Praetium fortassis si nescis muneris tui, tuis ecce, quod

gemmis oportuit, et Epigramma tibi tuum, et In-
scriptionem repraesento. Quid dicam? Liberas Soc
quidem munere ire ad me Epistolas voluisti: et ipse
iam captivus sum, quia Humanitatis tuae vinculis
constrictus. Imò quid dicam? sic constringi iuvat:
non tam saavis libertas est. Sanè quantum tibi
deberem, non videbar satis profiteri, nisi omnes
legerent, quantum accepissem. Ideo enim et Epi-
gramma tuum, et Inscriptionem proferre in lucem
ausus sum, ut Humanitatis tuae candorem publicè ve-
nerer: ideo et Historiae meae Insubricae, quam
mitto, inserere; ut et ea tibi deberet. Cape igitur
Soc munusculum, nomine et ingenio tuo exornatum:
ama argumentum, quod ad gloriam quoque NASS-
SOVIORVM pertinet. Eruditionis miraculo DANIELI
HEINSIO, ut vides, placuit: displicere tibi non po-
terit: tesseram sanè usurpavi tuam, ut placeret.
Vale, et cultum meum Excellentissimo PRINCIPI tuo
insenna. Lovanij, h' Arce, IV. Non. Ianuarias anni
novi M. DC. XXXI. qui ut prosper et felix tibi decurrat,
aevumque ducat, ex animo voleo,

Nominis, Doctrinae, Virtutis tuae
candidissimus cultor

Erycius Puteanus.

3

